



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 109. Rex ipsemet in Religionis causa Senatium accedens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

illi, Regi supplicandum esse, ut juxta Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.  
Constantiensis, & Basileensis Synodi  
decreta subinde Oecumenica celebra-  
rentur Concilia, in quibus omnes fidei  
controversiæ definirentur, interea vero  
supplicia eorum, qui novis opinionibus  
inhærent, differenda, illisque conscien-  
tiæ libertatem relinquendam esse aje-  
bant, eoquod prævideri haud valeant  
difficultates, quæ congregandæ Generali  
Synodo obstare possent, ut in ea omnes  
diversis sectis adhærentes ad officium  
redigi valerent. Ceterum illi, qui ita  
perorabant, erant Arnoldus Ferrerius  
in Inquisitionum Curia Præses, Anto-  
nius Fumeus, Paulus Foxius, Nico-  
laus de Valla, Eustachius de Porta, &  
quidam alii.

## §. CIX.

*Rex ipsemet in Religionis causa Se-  
natum accedens.*

**H**orum pertinacia Regem vehemen-  
ter exacerbabat, quapropter po-  
tiores Senatorum partem ejusdem esse  
sententiæ suspicatus nullum edictum,  
quo novi tumultus oriri, aut Religioni  
Catholicæ grave damnum inferri posset,  
promulgari voluit, sed potius ipse die  
quarta, necnon decima tertia Junii sta-  
tuit venire in Senatum, qui habebatur  
in Fratrum Augustinianorum cœnobio,

eo-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1559.

eoquod in majori Urbis Palatio pro nuptiis inter Elifabetham de Francia, & Philippum II. magnifici apparatus ferent. Itaque Rex Senatum ingreditur comitantibus eum Lotharingio, & Guifio Cardinalibus, Senenti Archiepiscopo, Monpenferio, Principe de Rupibus ad Yonem, Borboniis, aliisque Principibus: Postea Rex habito sermone dixit, quod pacem filiæ, ac sororis nuptiis sancitam Christiano orbi pepererit, ac confidat, ut ea populo utilis, & in æternum permansura sit. Ceterum agebat: angor non mediocriter, quod Religio- nis causa, cujus præcipua cura apud „pios Principes esse debet, ob bello- „rum turbines a quibusdam turbide, „ac seditiose agitata fuerit: proinde opto, „ut Reipublicæ christianæ in posterum „consulatur, propterea vos hortor, ut „rem integris animis dijudicetis, cum „Dei causa agatur, cui perinde, ac „cunctis cogitationibus, & consiliis hu- „manis præsentem ipsum interesse pro- „culdubio est.„ Finito hoc sermone mox per Cardinalem Bertrandum Regii Sigilli Custodem Sessiones jam inchoatas continuari præcepit.